



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola,  
Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

26. Februarii. Si à Deo expetenda sunt signa, & plura & clariora expetenda  
sunt de solis præceptis servandis, quàm de servandis consiliis. S. Ignat.  
apud Guartem. c. 22

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

estem temperabit. Si tu contempseris obedire Deo, nunquam efficies, ut passio tua obtemperet rationi.

Te præstat cadaver fieri, quām cadaveri vitam reddere; cadaver ad locum, situm, & vestitum omnem indifferens, insigni obedientibus documento, nihil optat, nihil refugit.

## 26. Februarij.

*Si à Deo expetenda sunt signa, & plura & clariora expetenda sunt de solis preceptis servandis, quām de servandis consiliis. S. Ignat. apud Quartem. c. 22.*

**A**nimalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus; Consilia Christi, si audit, non penetrat; onus videt, unctionem non attendit. Corticem nempe aspicit, non medullam, quò hebetudo oculorum non penetrat, ideo pauci consiliis moveruntur.

Magni erga hominem amoris indicium in Deo est, quos suis dignatur consiliis. Quanto est filiorum præ servis conditio nobilior, tanto major optimi Numinis dignatio erga eos est, quos in sortem filiorum invitat.

Sem.

Semper facta propositis minora sunt,  
Si soli præceptorum jugo te submittas, in  
proximo est, ut tentatione victus, etiam  
hoc excutias.

Optima, dum licet, eligere nemo pru-  
dens dubitaverit; tutiora præponimus in  
securis, & cur minor animæ, ac inferior  
cura salutis, habeatur?

## 27. Februarii.

*Difficilior ad virtutem genius, si seipsum  
fortiter expugnet, duplò meritis auctio-  
nem evadet præ illis, quibus lene ac lentu-  
m ingenium nihil facessit negotii. S. Ignat.  
ap. Bart. l. 4. §. 12.*

**M**alè judicat, qui ex morum placidi-  
tate de virtute fert sententiam, non  
qui se gerat in externis, verùm qui se inte-  
riùs vincat, inspiciendum, ut vera virtus  
decempeda statuatur.

Magnum naturæ beneficium est, velle  
conari, cui si labor accedat, id brevi inse-  
quetur, ut, quod negavit natura conatus  
efficiat.

Nec ita obstinatus est ullus genius,  
quem conatus non emolliat. Proxeneri  
naturæ, consuetudo est, ita seu celare, seu  
forma